



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Concilium Stampense Contra Anacletum Antipapam, congregatum anno  
Domini MCXXX. tempore Innocentii II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

102 INNOCENTIUS C. CLAROMONT. LOTHARIUS IMPERATOR.  
P. II. LUDOVICVS CRASSVS R. FR.

vltioni subiaceat, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus hic fructum bonæ actionis percipient, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen. *Sic signatum:*

Ego Innocentius catholicæ ecclesiæ episcopus.

Datum Iotti per manum Haimerici sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis & cancellarii, v. Kalendas Martii, indictione ix. incarnationis dominicæ anno MCXXXI. pontificatus autem domini Innocentii II. papæ anno secundo. Sigillatum laqueo rubro sigilli plumbei.

CONCILIVM CLAROMONTANVM

INNOCENTII PAPÆ AVCTORITATE INDICTVM,  
quo Anacletus antipapa & inuasor sedis apostolicæ  
condemnatur, anno Domini MCXXX.

N O T A.

Causa &  
acta Con-  
cili.

\* *Concilium.*] Initio pontificatus hanc Synodum apud Claromontem in Gallia celebratam esse propter schismaticum & pseudo-pontificem Anacletum testatur Otto Frisingensis lib. 7. cap. 18. his verbis: *Non multo post Honorio mortuo grauiissimum schisma in ecclesia oritur, Innocentio canonice electo, filio Petri Leonis violentia amicorum suorum qui fortissimi in Urbe erant, fauente sibi Rogerio Siculo, intruso. Cui dum Innocentius resistere non valeret, Urbe cedit, transiensque Alpibus Gallias ingreditur, ubi in regno Gallici regis in ciuitate apud Claromontem Concilium celebrans nuntios Lotharu Conradum Iuanensem, Eribertum Monasteriem, episcopos obuios habuit. Eadem Synodo Anacletum condemnatum fuisse testatur Platina in vita Innocentii his verbis: Innocentius, celebrato apud Claromontem Concilio, Petrum antipapam cum secessoribus damnauit. Hæc ille.*

CONCILIVM STAMPENSE  
CONTRA ANACLETVM ANTIPAPAM  
congregatum anno Domini MCXXX. tempore Inno-  
centii II.

N O T A.

Innocentii  
electio ap-  
probatur.

\* *Concilium.*] In hac Synodo, auctore sancto Bernardo, damnatum esse Petrum antipapam, qui se Anacletum nominabat, contra vero

INNOCENTIVS C. STAMPENSE. LOTHARIVS IMPERATOR.  
P. II. LVDOVICVS CRASSVS R. FR. IO3

ANNO CHRISTI  
1150.

approbatam fuisse electionem Innocentii canonice & legitime ordinati, testatur Vincentius lib. 27. cap. 6. & Bernardus abbas lib. 2. cap. 1. in vita S. Bernardi, de qua haec Sugerius in vita Ludouici regis: *Quo rex, ut erat piissimus ecclesie defensor, cito compunctus, Concilium archiepiscoporum, episcoporum, abbatum & religiosorum virorum Stampis conuocat, & eorum consilio tam de persona quam de electione inuestigans, (sit enim sepe ut Romanorum tumultuantium quibuscumque molestiis ecclesia electio minus ordinarie fieri valeat) & assensum electioni consilio virorum præbet, & deinceps manutenere promittit. Cum autem & susceptionis & seruitii primitias Cluniaci primo rex delegasset, tanto exhilarati suffragio, cum gratia & benedictione domino regi per nos referentes, ad propriæ remiserunt. Vt autem ad sanctum Benedictum super Ligerim descendit, dominus rex cum regina, cum filiis occurrentes, & nobilem diaademate sapientiæ coronatum verticem tamquam ad sepulcrum Petri inclinans, pedibus eius procumbit, & catholicum affectum & deuoti seruitii effectum ei & ecclesia promittit. Cuius exemplo & rex Anglia Henricus ei Carnotum occurrentes, deuotissime pedibus eius prostratus, votiuam sui suorumque & terra sua susceptionem, & obedientia filialis promittit plenitudinem. Haec Sugerius de rebus gestis usque in annum sequentem: quæ his subiicit, suo loco postea dicturi sumus.*

Sed quæ his consentientia scripserint eiusdem temporis auctores, vt veritas ore duorum vel trium testimoniis ipsas spectantium magis ac magis fortiusque roboretur, adducamus in medium. Bernardus abbas, qui res gestas sancti Bernardi accurate conscripsit, de his agens, haec ait: *Premisi in Gallias fuerant nuntii, qui Gallicanæ ecclesiæ intimarent negotiū veritatem, & hortarentur episcopos, ut in ultionem presumptionis accingerentur, & damnata parte schismatica, subscribebrent unitati. Necdum vero ad plenum tenor operis innotuerat episcopis, nec priuatum quisquam commodare presumpsit assensum, donec collectio Stampis generali Conuentu, in commune decernerent quid reciperent, quid damnarent. Neque enim Francia, ceteris regionibus proliuibus ad schismata, aliquando tali factiōne sedata est, nec malignorum acquieuit erroribus, nec fabricata est in ecclesia idolum, nec venerata in Petri cathedra monstrum: neque enim talibus in causis principalia aliquando eos terroruerunt edicta, aut generalibus utilitatibus priuata commoda pratulerunt, nec declinantes in partem personis detulere, sed causis. Conuocato igitur apud Stampas Concilio, abbas sanctus Clarenensis Bernardus, specialiter ab ipso Francorum rege & precipuis quibusque pontificibus acceritus, sicut postea fatebatur, non mediocriter pauidus & tremebundus aduenit, periculum quippe & pondus negotii non ignorans. In itinere tamen consolatus est cum Deus, ostendens ei in visu noctis ecclesiam magnam concorditer in Dei laudibus concinentem; unde sperauit pacem sine dubio prouenturam. Vbi vero ad locum ventum est, celebrato prius ieiunio, & precibus ad Deum fusi, cum de eodem verbo tractaturi rex & episcopi cum principibus confidissent, unum omnium consilium fuit, una sententia, ut negotium Dei famulo imponeretur, & ex ore eius tota causa penderet. Quod ille timens licet & tremens, monitis tamen virorum fide-*

Bernardus  
abbas in vi-  
ta sancti  
Bernardi  
lib. 2. cap. 1.

104 INNOCENTIVS C. IOTRENSE. LOTHARIVS IMPERATOR.  
P. II. LUDOVICVS CRASSVS R. FR.

ANNO  
CHRISTI  
1190

lum acquisiens suscepit, & diligenter prosecutus electionis ordinem, ele-  
ctorum merita, vitam & famam prioris electi. Aperuit os suum, & Spi-  
ritus sanctus impleuit illud. Vnus ergo omnium ore locutus, suscipiendum  
ab omnibus summum pontificem Innocentium nominauit, & ratum esse,  
omnes pariter acclamarunt. Hac Bernardus. Eadem quoque Theo-

Theobal-  
dus in vita  
sancti Vvi-  
lielmi apud  
Surium, to-  
mo secun-  
do, die 10.  
Februarii.

## CONCILIVM IOTRENSE

OB SANCTVM THOMAM SANCTI VICTORIS  
Parisiensis priorem occisum, pro iustitia congregatum,  
anno MCXXX. Innocentii papæ II.

### NOTA.

Vide san-  
ctum Ber-  
nardum,  
epistola 158.

\* *Concilium.*] Cum archidiaconus Parisiensis Theobaldus illicitas  
exactiones occasione archidiaconatus a presbyteris exigeret, beatus  
autem Thomas prior S. Victoris Parisiensis, insignis iustitiae amator  
& defensor, magno zelo eidem resisteret, per nepotes archidiaconi  
ipsius vir religiosus in obsequio caritatis, in itinere quod pietas indice-  
ret, in opere sancto, in sanctorum comitatu, in dominico die, in sinu  
meo, inquit Stephanus Parisiensis in epistola apud Bernardum 159. ad  
Innocentium papam, & intra manus meas crudeliter ab impiis pro  
Lib. 3. epi- iustitia excerebratus est. *Hac de causa*, inquit Petrus Cluniacensis  
Rola 17. abbas, nuper in his partibus archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, ac  
multorum religiosorum & sapientum persona congregatae sunt: & Conci-  
lio habito, in huicmodi sacrilegos severitatis sententiam protulerunt.  
Confirmet ergo, si placet, apostolica auctoritas quod ab eis bene actum  
est; suppleat, si quid minus severo decretum est, ut impii debita vltione  
puniantur, & ab eorum imitatione ceteri deterreantur. Hac & alia Pe-  
trus ad Innocentium.

Ad instantiam Stephani Parisiensis episcopi, per literas quas ex  
notis Ioannis Picardi ad epistolam 158. subiungo, martyrum ipsum  
beati Thomæ, eiusque iustum vindictam exponentis, Gauderius  
sedis apostolicae legatus hanc Synodus Iotri celebrandam indixit, ea-  
que contra sacrilegos martyris occisores constituit, quæ in epistola  
Innocentii ad episcopos Galliæ qui huic Conclilio interfuerant reddi-  
ta describuntur. Epistolarum a Stephano Parisiensi scriptarum prima  
ista est.

*Stephanus Dei gratia Parisiensis episcopus F.R. E.H.  
archipresbyteris salutem.*

**E**x auctoritate Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spi-  
ritus sancti, & sanctæ Dei genitricis Mariæ, & om-  
nium sanctorum, excommunicamus, & anathematizamus,  
&